



Venerabili Fratri Nostro  
**RICHARDO S.R.E. Cardinali BLÁZQUEZ PÉREZ**  
Archiepiscopo Metropolitae Vallisoletano

Quemadmodum duos ante annos in Purpuratorum Patrum ordinem varia propter merita te libentes laetantesque coram toto orbe rettulimus, ita nunc iterum ad te Nostras hasce per Litteras accedere properamus peculiari animi sensu permoti, quandoquidem mox iucundus magnique ponderis a te recoletur eventus, quinquagesimus videlicet anniversarius dies a sacerdotali tua ordinatione. Quae fausta recordatio profecto causa tibi erit eximii honoris et gaudii, cum totum magnificabitur pastoris tuum ministerium probandis operibus onustum et omnibus ex partibus locupletatum.

Scholis optime completis, philosophica et theologica doctrina congrue instructus in celebri nativa tua dioecesi Abulensi, die XVIII mensis Februarii anno MCMLXVII gaudens ordinationem suscepisti presbyteralem ac subinde primum Eucharistica Ihostia litasti. Deinde Romam missus, laurcam consecutus es in theologia apud Pontificiam Universitatem Gregorianam. In patriam quidem reversus, altiora etiam recepisti officia: secretarius fuisti Instituti Abulensis, praceptor theologiae ac etiam decanus facultatis theologie apud Studiorum Universitatem Salmantinam, cuius universitatis postea uti Episcopus quattuor per annos fuisti Magnus Cancellarius.

Die quidem VIII mensis Aprilis anno MCMLXXXVIII a sancto Ioanne Paulo II, aestimabili Decessore Nostro, electus es Auxiliaris Compostellanus et simul nominatus Episcopus titulo Germensis in Galatia; quattuor post annos constitutus es Episcopus Palentinus; anno autem MCMXCV ad Sedem Flaviobrigensem translatus es. Demum anno MMX Decessor Noster Benedictus XVI Pastorem te destinavit metropolitanae Ecclesiae Vallisoletanae, cuius fideles per semitas lucis et evangelicae veritatis ad vitae aeternae coronam adipiscendam sapienter conducis.

Satis extollere non possumus fidelitatem tuam erga Ecclesiam, tuamque erga Nos filialem dilectionem necnon Pastoris animum, prudentem et plane deditum animarum bono. Ideo haud est mirandum te a Fratribus in Episcopatu magna cum fiducia bis electum esse Praesidem Conferentiae Episcoporum tuae Nationis.

Nos idcirco in Patrum Cardinalium Collegium te cooptavimus titulumque tibi adsignavimus ecclesiae Romanae S. Mariae in Vallicella. Navitas tua pastoralis tuaque de Ecclesia Catholica certa sollicitudo non solum inter fideles communictatum tibi concreditarum enituit, sed longe extra earum confines. Inter alia anno MMVII adstabas V Conferentiae Episcopali Americae Latinae in urbe Apparitiopolitana; tuis prudentibus consilii et adiumentis fruuntur etiam Dicasteria Romana, scilicet Congregationes pro Doctrina fidei, pro Ecclesiis Orientalibus necnon de Cultu Divino et Doctrina Sacramentorum, atque Administratio Patrimonii Sedis Apostolicae.

Optamus denique, Venerabilis Frater Noster, ut, gratia Sancti Spiritus roboratus et materna intercessione Immaculatae Virginis Mariae sublevatus, constanti animo perseveres in ministerio tuo sapienter explendo. Haec vota et omnia confirmamus Benedictione Nostra Apostolica tibi imprimis amanter impertita, quam volumus deinde ad sacerdotes, religiosos et universum dilectum gregem tuum omnesque participes tuae faustae celebrationis pertinere, simul enixe exposcimus preces pro summo ministerio Nostro sicut Deo placet exercendo.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXII mensis Decembris, anno MMXVI,  
Pontificatus Nostri quarto.

*franciscus*